

AVIANUS

FABLES (654 vers)

I. DE NUTRICE ET INFANTI.

A_1 v.1 Rustica deflentem parvum juraverat olim
 2 ni taceat, rabido quod foret esca lupo.
 3 Credulus hanc vocem lupo audiit et manet ipsas
 4 pervigil ante fores, irrita vota gerens ;
 5 nam lassata puer nimiae dat membra quieti,
 6 spem quoque raptori sustulit, inde fames.
 7 Hunc ubi silvarum repetentem lustra suarum
 8 jejunum conjux sensit adesse lupa :
 9 "Cur, inquit, nullam referens de more rapinam,
 10 languida consumptis sed trahis ora genis ?"
 11 "Ne mireris, ait, deceptum fraude maligna
 12 vix miserum vacua delituisse fuga.
 13 Nam quae praeda, rogas, quae spes contingere posset,
 14 jurgia nutricis cum mihi verba darent ?"
 15 Haec sibi dicta putet seque hac sciat arte notari
 16 femineam quisquis credidit esse fidem.

II. DE TESTVDINE ET AQVILA.

A_2 v.1 Pennatis avibus quondam testudo locuta est,
 2 si quis eam volucrum constituisset humi,
 3 protinus e Rubris conchis proferret harenis,
 4 quis pretium nitido cortice bacca daret.
 5 Indignum sibimet, tardo quod sedula gressu
 6 nil ageret toto perficeretque die.
 7 Ast ubi promissis aquilam fallacibus implet,
 8 experta est similem perfida lingua fidem ;
 9 et male mercatis dum quaerit sidera pennis,
 10 occidit infelix alitis ungue fero.
 11 Tunc quoque sublimis, cum jam moreretur, in auras
 12 ingemuit votis haec licuisse suis.
 13 Nam dedit exosae post haec documenta quietis
 14 non sine supremo magna labore peti.
 15 Sic quicumque nova sublatus laude tumescit
 16 dat merito poenas, dum meliora cupit.

III. DE CANCRIS.

A_3 v.1 Curva retro cedens dum fert vestigia cancer,
 2 hispida saxosis terra relisit aquis.
 3 Hunc genetrix facili cupiens procedere gressu,
 4 talibus alloquiis emouisse datur :
 5 "Ne tibi transverso placeant haec devia, nate,
 6 Rursus in obliquos neu velis ire pedes ;
 7 sed nisu contenta ferens vestigia recto,
 8 Innocuos prono tramite siste gradus."
 9 Cui natus : "Faciam, si me praecesseris, inquit,
 10 Rectaque monstrantem certior ipse sequar.
 11 Nam stultum nimis est, cum tu pravissima temptes,
 12 alterius censor si vitiosa notes."

IV. DE VENTO ET SOLE.

A_4 v.1 Immitis Boreas placidusque ad sidera Phoebus
 2 Jurgia cum magno conseruere Jove,
 3 quis prior inceptum peragat : mediumque per orbem
 4 carpebat solitum forte viator iter.
 5 Convenit hanc potius liti praefigere causam,
 6 pallia nudato decutienda viro.
 7 Protinus impulsus ventis circumtonat aether,
 8 et gelidus nimias depluit imber aquas.
 9 Ille magis duplicem lateri circumdat amictum,
 10 turbida submotos quod trahit ora sinus.
 11 Sed tenues radios paulatim increscere Phoebus
 12 jusserat, ut nimio surgeret igne jubar,
 13 donec lassa volens requiescere membra viator,
 14 deposita fessus veste sederet humi.
 15 Tunc victor docuit praesentia numina Titan
 16 nullum praemissis vincere posse minis.

V. DE ASINO PELLE LEONIS INDUTO.

A_5 v.1 Metiri se quemque decet propriisque juvari
 2 laudibus, alterius nec bona ferre sibi,
 3 ne detracta gravem faciant miracula risum,
 4 coeperit in solitis cum remanere malis.
 5 Exuvias asinus Gaetuli forte leonis
 6 repperit et spoliis induit ora novis
 7 aptavitque suis incongrua tegmina membris,
 8 et miserum tanto pressit honore caput.
 9 Ast ubi terribilis mimo sic circumstetit horror
 10 pigraque praesumptus venit in ossa vigor,
 11 mitibus ille feris communia pabula calcans,
 12 turbabat pavidas per sua rura boves.
 13 Rusticus hunc magna postquam deprendit ab aure,
 14 correptum vinclis verberibusque domat.
 15 Et simul abstracto denudans corpora tergo,
 16 increpat his miserum vocibus ille pecus :
 17 "Forsitan ignotos imitato murmure fallas,
 18 at mihi, qui quondam, semper asellus eris."

VI. DE RANA ET VULPE.

A_6 v.1 Edita gurgitibus limoque immersa profundo,
 2 et luteis tantum semper amica vadis,
 3 ad superos colles herbosaeque prata recurrens,
 4 mulcebat miseras turgida rana feras,
 5 callida quod posset gravibus succurrere morbis,
 6 et vitam ingenio continuare suo.
 7 Nec se Paeonio jactat cessisse magistro,
 8 quamvis perpetuos curet in orbe deos.
 9 Tunc vulpes pecudum ridens astuta quietem
 10 verborum vacuum prodidit esse fidem :
 11 "Haec dabit aegrotis, inquit, medicamina membris
 12 pallida caeruleus cui notat ora color ?"

VII. DE CANE QUI NOLUIT LATRARE.

A_7 v.1 Haud facile est pravis innatum mentibus ut se
 2 muneribus dignas suppliciove putent.
 3 Forte canis quondam, nullis latratibus horrens,

4 nec patulis primum rictibus ora trahens,
 5 mollia sed pavidae submittens verbera caudae,
 6 concitus audaci vulnera dente dabat.
 7 Hunc dominus, ne quem probitas simulata lateret,
 8 jusserat in rabido gutture ferre nolam.
 9 Faucibus innexis crepitantia subligat aera,
 10 quae facili motu signa cavenda darent.
 11 Haec tamen ille sibi credebat praemia ferri,
 12 et similem turbam despiciebat ovans.
 13 Tunc insultantem senior de plebe superbum
 14 adgreditur, tali singula voce monens :
 15 "Infelix, quae tanta rapit dementia sensum,
 16 munera pro meritis si cupis ista dari ?
 17 Non hoc virtutis decus ostentatur in aere,
 18 nequitiae testem sed geris inde sonum."

VIII. DE CAMELO.

A_8 v.1 Contentum propriis sapientem vivere rebus,
 2 nec cupere alterius fabula nostra monet,
 3 indignata cito ne stet Fortuna recursu
 4 atque eadem minuatur quae dedit ante rota.
 5 Corporis immensi fertur pecus isse per auras
 6 et magnum precibus sollicitasse Jovem :
 7 turpe nimis cunctis irridendumque videri
 8 insignes geminis cornibus ire boves,
 9 et solum nulla munitum parte camelum
 10 objectum cunctis expositumque feris.
 11 Jupiter arridens postquam sperata negavit,
 12 insuper et magnae sustulit auris onus.
 13 "Vive minor merito, cui sors non sufficit, inquit,
 14 et tua perpetuum, livide, damna geme."

IX. DE DUOBUS SOCIIS ET URSA.

A_9 v.1 Montibus ignotis curvisque in vallibus artum
 2 cum socio quidam suscipiebat iter,
 3 securus, quodcumque malum Fortuna tulisset,
 4 robore collato posset uterque pati.
 5 Dumque per inceptum vario sermone feruntur,
 6 in mediam praeceps convenit ursa viam.
 7 Horum alter facili comprehendens robora cursu
 8 in viridi trepidum fronde pependit onus.
 9 Ille trahens nullo jacuit vestigia gressu,
 10 exanimem fingens, sponte relisus humi.
 11 Continuo praedam cupiens fera saeva cucurrit
 12 et miserum curvis unguibus ante levat.
 13 Verum ubi concreto riguerunt membra timore
 14 (nam solitus mentis liquerat ossa calor),
 15 tunc olidum credens, quamvis jejuna, cadaver
 16 deserit et lustris conditur ursa suis.
 17 Sed cum securi paulatim in verba redissent,
 18 liberior justo, qui fuit ante fugax :
 19 "Dic, sodes, quidnam trepido tibi rettulit ursa ?
 20 Nam secreta diu multaque verba dedit."
 21 "Magna quidem monuit, tamen haec quoque maxima jussit,
 22 quae misero semper sunt facienda mihi :
 23 "Ne facile alterius repetas consortia, dixit,
 24 rursus ab insana ne capiare fera."

X. DE CALVO.

A_10 v.1 Calvus eques capiti solitus religare capillos
 2 atque alias nudo vertice ferre comas,
 3 ad Campum nitidis venit conspectus in armis
 4 et facilem frenis flectere coepit equum.
 5 Hujus ab adverso Boreae spiramina prestant
 6 ridiculum populo conspiciente caput ;
 7 nam mox dejecto nituit frons nuda galero,
 8 discolor apposita quae fuit ante coma.
 9 Ille sagax, tantis quod risus milibus esset,
 10 distulit admota calliditate jocum,
 11 "Quid mirum", referens, "positos fugisse capillos
 12 quem prius aequaevae deseruere comae ?"

XI. DE OLLIS.

A_11 v.1 Eripiens geminas ripis cedentibus ollas
 2 insanis pariter flumen agebat aquis.
 3 Sed diversa duas ars et natura creavit :
 4 aere prior fusa est, altera ficta luto.
 5 Dispar erat fragili et solidae concordia motus,
 6 incertumque vagus amnis habebat iter.
 7 Ne tamen allisam confringeret, aerea testa
 8 jurabat solitam longius ire viam.
 9 Illa timens ne quid levibus graviora nocerent,
 10 et quia nulla brevi est cum meliore fides,
 11 "Quamvis securam verbis me feceris, inquit,
 12 non timor ex animo decutiendus erit.
 13 Nam me sive tibi, seu te mihi conferat unda,
 14 semper ero ambobus subdita sola malis."

XII. DE THESAURO.

A_12 v.1 Rusticus impresso molitus vomere terram
 2 thesaurum sulcis prosiluisse videt.
 3 Mox indigna animo properante reliquit aratra,
 4 gramina compellens ad meliora boves.
 5 Continuo supplex Telluri construit aras,
 6 quae sibi depositas sponte dedisset opes.
 7 Hunc Fortuna novis gaudentem provida rebus
 8 admonet, indignam se quoque ture dolens :
 9 Nunc inventa meis non prodis munera templis
 10 atque alios mavis participare deos ;
 11 sed cum surrepto fueris tristissimus auro,
 12 me primam lacrimis sollicitabis inops."

XIII. DE HIRCO ET TAURO.

A_13 v.1 Immensum taurus fugeret cum forte leonem
 2 tutaque desertis quaereret antra viis,
 3 speluncam reperit quam tunc hirsutus habebat
 4 Cinyphii ductor qui gregis esse solet.
 5 Post ubi submissa meditantem irrumpere fronte
 6 obvius obliquo terruit ore caper,
 7 tristis abit longaque fugax de valle locutus
 8 (nam timor expulsum jurgia ferre vetat) :
 9 "Non te demissis saetosum, putide, barbibus,

10 illum, qui super est consequiturque, tremo.
 11 Nam si discedat, nosces, stultissime, quantum
 12 discrepet a tauri viribus hircus olens."

XIV. DE SIMIA.

A_14 v.1 Juppiter in toto quondam quaesiverat orbe
 2 munera natorum quis meliora daret.
 3 Certatum ad regem currit genus omne ferarum,
 4 permixtumque homini cogitur ire pecus.
 5 Sed nec squamigeri desunt ad jurgia pisces,
 6 vel quicquid volucrum purior aura vehit.
 7 Inter quos trepidae ducebant pignora matres,
 8 iudicio tanti discutienda dei.
 9 Tunc brevis informem traheret cum simia natum,
 10 ipsum etiam in risum compulit ire Jovem.
 11 Hanc tamen ante alios rupit turpissima vocem,
 12 dum generis crimen sic abolere cupit :
 13 "Juppiter hoc norit, maneat victoria si quem ;
 14 iudicio superest omnibus iste meo."

XV. DE GRUE ET PAVONE.

A_15 v.1 Threiciam volucrem fertur Junonius ales
 2 communi sociam conteruisse cibo.
 3 Namque inter varias fuerat discordia formas,
 4 magnaue de facili jurgia lite trahunt,
 5 quod sibi multimodo fulgerent membra decore,
 6 caeruleam facerent livida terga gruem.
 7 Et simul erectae circumdans tegmina caudae,
 8 sparserat archamum sursus in astra jubar.
 9 Illa licet nullo pennarum certet honore,
 10 his tamen insultans vocibus usa datur :
 11 "Quamvis innumerus plumas variaverit ordo,
 12 mersus humi semper florida terga geris ;
 13 ast ego deformi sublimis in aera penna
 14 proxima sideribus numinibusque feror."

XVI. DE QUERCU ET HARUNDINE.

A_16 v.1 Montibus e summis radicitus eruta quercus
 2 decidit, insani turbine victa noti.
 3 Quam tumidis subter decurrens alveus undis
 4 suscipit et fluvio praecipitante rapit.
 5 Verum ubi diversis inpellitur ardua ripis,
 6 in fragiles calamos grande residit onus.
 7 Tunc sic exiguo conectens caespite ramos
 8 miratur liquidis quod stet harundo vadis :
 9 se quoque tam vasto rectam non sistere trunco,
 10 ast illam tenui cortice ferre minas.
 11 Stridula mox blando respondens canna susurro
 12 seque magis tutam debilitate docet :
 13 "Tu rabidos," inquit, "ventos saevasque procellas
 14 despicias et totis viribus acta ruis ;
 15 ast ego surgentes paulatim demoror austros
 16 et quamvis levibus provida cedo notis.
 17 In tua praeruptus offendit robora nimbus ;
 18 motibus aura meis ludificata perit."
 19 Haec nos dicta monent magnis obsistere frustra
 20 paulatimque truces exsuperare minas.

- XVII. DE UENATORE ET TIGRIDE.
- A_17 v.1 Venator jaculis haud irrita vulnera torquens
 2 turbabat trepidas per sua lustra feras.
 3 Tum pavidis audax cupiens succurrere tigris
 4 verbere commotas jussit abesse minas.
 5 Ille tamen solito contorquens tela lacerto :
 6 "Nunc tibi qualis eram nuntius iste refert."
 7 et simul emissum transegit vulnera ferrum
 8 praestrinxitque citos hasta cruenta pedes.
 9 Molliter affixum traheret cum saucia telum,
 10 a trepida fertur vulpe retenta diu,
 11 dum quinam ille foret, qui talia vulnera ferret,
 12 aut ubinam jaculum delituisset agens.
 13 Illa gemens fractoque loqui vix murmure coepit
 14 (nam solitas voces ira dolorque rapit) :
 15 "Nulla quidem medio convenit in aggere forma
 16 quaeque oculis olim sit repetenda meis,
 17 sed cruor et validis in nos directa lacertis
 18 ostendunt aliquem tela fuisse virum."
- XVIII. DE QUATTUOR IUUENCIS ET LEONE.
- A_18 v.1 Quattuor immensis quondam per prata juvencis
 2 fertur amicitiae tanta fuisse fides,
 3 ut simul emissos nullus divelleret error,
 4 rursus et e pastu turba rediret amans.
 5 Hos quoque collatis inter se cornibus ingens
 6 dicitur in silvis pertimuisse leo,
 7 dum metus oblatam prohibet temptare rapinam
 8 et conjuratos horret adire boves.
 9 Sed quamvis audax factisque immanior esset,
 10 tantorum solus viribus impar erat.
 11 Protinus aggreditur pravis insistere verbis,
 12 collisum cupiens dissociare pecus.
 13 Sic postquam dictis animos disjunxit acerbis,
 14 invasit miserum diripuitque gregem.
 15 Tunc quidam ex illis : "Vitam servare quietam
 16 qui cupiet, nostra discere morte potest ;
 17 neve cito admotas verbis fallacibus aures
 18 impleat aut veterem deserat ante fidem."
- XIX. DE ABIETE AC DUMIS.
- A_19 v.1 Horrentes dumos abies pulcherrima risit,
 2 cum facerent formae jurgia magna suae,
 3 indignum referens nullis certamen haberi,
 4 quos meritis nullus consociaret honor.
 5 "Nam mihi deductum surgens in nubila corpus
 6 verticis erectas tollit in astra comas,
 7 pappibus et patulis media cum sede locamur,
 8 in me suspensos explicat aura sinus.
 9 At tibi deformem quod dant spineta figuram,
 10 despectum cuncti praeteriere viri."
 11 Ille refert : "Nunc laeta quidem bona sola fateris
 12 et nostris frueris imperiosa malis ;
 13 Sed cum pulchra minax succidet membra securis,
 14 quam velles spinas tunc habuisse meas ! "

XX. DE PISCATORE ET PISCE.

A_20 v.1 Piscator solitus praedam suspendere saeta
 2 exigui piscis vile trahebat onus.
 3 Sed postquam superas captum perduxit ad auras
 4 atque avido fixum vulnus ab ore tulit :
 5 "Parce, precor," supplex lacrimis ita dixit obortis,
 6 "nam quanta ex nostro corpore dona feres ?
 7 Nunc me saxosis genitrix fecunda sub antris
 8 fudit et in propriis ludere jussit aquis.
 9 Tolle minas tenerumque tuis sine crescere mensis ;
 10 haec tibi me rursus litoris ora dabit.
 11 Protinus immensi depastus caerulea ponti,
 12 pinguior ad calamum sponte recurro tuum."
 13 Ille nefas captum referens absolvere piscem,
 14 difficiles queritur cassibus esse vices :
 15 "Nam miserum est", inquit, "praesentem amittere praedam,
 16 stultius est rursus vota futura sequi."

XXI. RUSTICUS ET AVIS.

A_21 v.1 Parvula progeniem terrae mandaverat ales,
 2 qua stabat viridi caespite flava seges.
 3 Rusticus hanc fragili cupiens decerpere culmo,
 4 vicinam supplex forte petebat opem.
 5 Et vox implumes turbavit crudula nidos
 6 suaserat et laribus continuare fugam.
 7 Cautior hos remeans prohibet discedere mater :
 8 "Nam quid ab externis perficietur ?" ait.
 9 Ille iterum caris operam mandavit amicis.
 10 At genetrix rursus tutior inde manet.
 11 Sed postquam curvas dominum comprehendere falces
 12 frugibus et veram sensit adesse manum :
 13 "Nunc, ait, o miseri, dilecta relinquire rura,
 14 cum spem de propriis viribus ille petit."

XXII. DE CUPIDO ET INVIDO.

A_22 v.1 Juppiter ambiguas hominum praediscere mentes
 2 ad terras Phoebum misit ab arce poli.
 3 Tunc duo diversis poscebant numina votis :
 4 namque alter cupidus, invidus alter erat.
 5 His sese medium Titan scrutatus utrumque,
 6 obtulit, et, precibus ut peteretur, ait,
 7 praestandi facilis : "Nunc quaeque rogaverit unus,
 8 protinus haec alter congeminata feret."
 9 Sed cui longa jecur nequeat satiare cupido
 10 distulit admotas in nova damna preces,
 11 spem sibi confidens alieno crescere voto
 12 seque ratus solum munera ferre duo.
 13 Ille ubi captantem socium sua praemia vidit,
 14 supplicium proprii corporis optat ovans :
 15 Nam petit exstinctus ut lumine degeret uno,
 16 alter ut, hoc duplicans, vivat uterque carens.
 17 Tunc sortem sapiens humanam risit Apollo,
 18 invidiaeque malum retulit ipse Jovi,
 19 quae dum proventis aliorum gaudet iniquis,
 20 laetior infelix et sua damna cupit.

XXIII. DE BACHO.

A_23 v.1 Venditor insignem referens de marmore Bacchum
 2 expositum precio fecerat esse deum.
 3 Nobilis hunc quidam funesta in sede sepulcri
 4 mercari cupiens compositurus erat ;
 5 alter adoratis ut ferret numina templis
 6 redderet et sacro debita vota loco.
 7 "Nunc, ait, ambiguum facies de mercibus omen,
 8 cum spes in precium munera dispar agit,
 9 et me defunctis seu malis tradere divis,
 10 sive decus busti, seu velis esse deum.
 11 Subdita namque tibi est magni reverentia fati,
 12 atque eadem retines funera nostra manu.
 13 Convenit hoc illis, quibus est permissa potestas
 14 an praestare magis, seu nocuisse velint.

XXIV. DE VENATORE ET LEONE.

A_24 v.1 Certamen longa protractum lite gerebant
 2 venator quondam nobilis atque leo.
 3 Hi cum perpetuum cuperent in jurgia finem,
 4 edita continuo forte sepulcra vident.
 5 Illic docta manus flectentem colla leonem
 6 fecerat in gremio procubuisse viri.
 7 Scilicet affirmas pictura teste superbum
 8 se fieri : exstinctam nam docet esse feram.
 9 Ille, graves oculos ad inania signa retorquens,
 10 infremit et rabido pectore verba dedit :
 11 "Irrita te generis subiit fiducia vestri,
 12 artificis testem si cupis esse manum.
 13 Quod si nostra novum caperet sollertia sensum,
 14 sculperet ut docili pollice saxa leo,
 15 tunc hominem adspiceres oppressum murmure magno
 16 conderet ut rabidis ultima fata genis."

XXV. DE FURE ET PARVO.

A_25 v.1 Flens puer extremam putei consedit ad undam,
 2 vana supervacuis rictibus ora trahens.
 3 Callidus hunc lacrimis postquam fur vidit abortis,
 4 quaenam tristitiae sit modo causa rogat.
 5 Ille sibi abrupti fingens discrimina funis
 6 atque auri queritur desiluisse cadum.
 7 Nec mora, sollicitam traxit manus improba vestem :
 8 exutus putei protinus ima petit.
 9 Parvulus exiguo circumdans pallia collo,
 10 sentibus immersus delituisse datur.
 11 Sed post fallaci suscepta pericula voto
 12 tristior, amissa veste, resedit humi.
 13 Dicitur his sollers vocem rupisse querelis
 14 et gemitu summos sollicitasse deos :
 15 "Perdita, quisquis erit, post haec bene pallia credat
 16 qui putat in liquidis quod latet urna vadis."

XXVI. DE LEONE ET CAPELLA.

A_26 v.1 Viderat excelsa pascentem rupe capellam,
 2 comminus esuriens cum leo ferret iter.
 3 Et prior : "Heus, inquit, praeruptis ardua saxis
 4 linque, nec hirsutis pascua quaere jugis ;
 5 sed cytisi croceum per prata virentia florem

6 et glaucas salices et thyma grata pete."
 7 Illa gemens : "Desiste, precor, fallaciter, inquit,
 8 securam placidis insimulare dolis.
 9 Vera licet moneas, majora pericula tollas,
 10 tu tamen his dictis non facis esse fidem.
 11 Nam quamvis rectis constet sententia verbis,
 12 suspectam hanc rabidus consiliator habet."

XXVII. DE CORNICE ET URNA.

A_27 v.1 Ingentem sitiens cornix adspexerat urnam,
 2 quae minimam fundo continuisset aquam.
 3 Hanc enisa diu planis effundere campis,
 4 scilicet ut nimiam pelleret inde sitim,
 5 postquam nulla viam virtus dedit, admovet omnes
 6 indignata nova calliditate dolos.
 7 Nam brevis immersis accrescens sponte lapillis
 8 potandi facilem praebuit unda viam.
 9 Viribus haec docuit quam sit prudentia major,
 10 qua coeptum volucris explicuisset opus.

XXVIII. DE RUSTICO ET IUVENCO.

A_28 v.1 Vincula recusanti dedignantique juvenco
 2 aspera mordaci subdere colla jugo
 3 Rusticus obliqua succidens cornua falce
 4 credidit insanum defremuisse pecus,
 5 cautus et immenso cervicem innectit aratro
 6 (namque erat hic cornu promptior atque pede),
 7 scilicet ut longus prohiberet verbera temo
 8 neve ictus faciles ungula saeva daret.
 9 Sed postquam irato detractans vincula collo
 10 inmeritam vacua calce fatigat humum,
 11 Continuo eversam pedibus dispergit harenam,
 12 quam ferus in domini ora sequentis agat.
 13 Tunc sic informi squalentes pulvere crines
 14 discutiens, imo pectore victus, ait :
 15 "Nimirum exemplum naturae deerat iniquae,
 16 qua fieri possit cum ratione nocens."

XXIX. DE VIATORE ET FAUNO.

A_29 v.1 Horrida congestis cum staret bruma pruinis
 2 cunctaque durato stringeret arva gelu,
 3 haesit in adversa nimborum mole viator :
 4 perdita nam prohibet semita ferre gradum.
 5 Hunc nemorum custos fertur miseratus in antro
 6 exceptum Satyrus continuisse suo.
 7 Quem simul adspiciens ruris miratur alumnus,
 8 vimque homini tantam protinus esse pavet.
 9 Nam gelidos artus vitae ut revocaret in usum,
 10 afflatas calido solverat ore manus.
 11 Sed cum depulso coepisset frigore laetus
 12 hospitis eximia sedulitate frui,
 13 (namque illi agrestem cupiens ostendere vitam,
 14 silvarum referens optima quaeque dabat),
 15 obtulit et calido plenum cratera Lyaeo,
 16 laxet ut infusus frigida membra tepor.
 17 Ille ubi ferventem labris contingere testam
 18 horruit, argenti rursus ab ore reflat.

19 Obstipuit duplici monstro perterritus hospes,
20 et pulsum silvis longius ire jubet :
21 "Nolo, ait, ut nostris umquam successerit antris
22 tam diversa duo qui simul ora ferat.

XXX. VILLICUS ET DOMINUS.

A_30 v.1 Vastantem segetes et pingua culta ruentem
 2 liquerat abscisa rusticus aure suem,
 3 ut memor accepti referens monumenta doloris
 4 ulterius teneris parceret ille satis.
 5 Rursus in excerpti deprensus crimine campi
 6 perdidit indultae perfidus auris onus.
 7 Nec mora, praedictae segeti caput intulit horrens,
 8 poena sed indignum quod geminata facit.
 9 Tunc domini captum mensis dedit ille superbis,
 10 in varias epulas plurima frustra secans.
 11 Sed cum consumpti dominus cor quaereret apri,
 12 impatiens fertur quod rapuisse cocus,
 13 rusticus hoc justam verbo compescuit iram,
 14 affirmans stultum non habuisse suem :
 15 "Nam cur membrorum demens in damna redisset
 16 atque uno totiens posset ab hoste capi ?"
 17 Haec illos descripta monent, qui saepius ausi,
 18 numquam a peccatis abstinere manus.

XXXI. DE MURE ET TAURO.

A_31 v.1 Ingentem fertur mus quondam parvus oberrans
 2 ausus ab exiguo laedere dente bovem.
 3 Verum ubi mordaci confecit vulnera rostro,
 4 tutus in amfractus conditur inde suos.
 5 Ille licet vasta torvum cervice minetur,
 6 non tamen iratus quem petat esse videt.
 7 Tunc indignantem justo sermone fatigans,
 8 distulit hostiles calliditate minas :
 9 "Non quia magna tibi tribuerunt membra parentes,
 10 viribus effectum constituere tuis.
 11 Disce tamen brevibus quae sit fiducia rostris,
 12 ut faciat quicquid parvula turba cupit."

XXXII. RUSTICUS ET HERCULES.

A_32 v.1 Haerentem luteo sub gurgite rusticus axem
 2 liquerat et nexos ad juga tarda boves,
 3 frustra depositis confidens numina votis
 4 ferre suis rebus, cum resideret, opem.
 5 Cui rector summis Tirynthius inquit ab astris
 6 (nam vocat hunc supplex in sua vota deum) :
 7 "Perge laborantes stimulis agitare juvencos,
 8 et manibus pigras disce juvare rotas.
 9 Tunc quoque congressum majoraque viribus ausum
 10 fas superos animis conciliare tuis.
 11 Disce tamen pigris non flecti numina votis,
 12 praesentesque adhibe, cum facis ipse, deos."

XXXIII. DE ANSERE OVA AUREA PARIENTE.

A_33 v.1 Anser erat cuidam pretioso germine feta
 2 ovaque quae nidis aurea saepe daret.
 3 Fixerat hanc volucris legem Natura superbae,

4 ne liceat pariter munera ferre duo.
 5 Sed dominus, cupidum sperans vanescere votum,
 6 non tulit exosas in sua lucra moras,
 7 grande ratus pretium volucris de morte referre,
 8 quae tam continuo munere dives erat.
 9 Postquam nuda minax egit per viscera ferrum
 10 et vacuam solitis fetibus esse videt,
 11 ingemuit tantae deceptus crimine fraudis ;
 12 nam poenam meritis rettulit inde suis.
 13 Sic qui cuncta deos uno male tempore poscunt,
 14 justius his etiam vota diurna negant.

XXXIV. DE CYCADA ET FORMICA.

A_34 v.1 Quisquis torpentem passus transisse juventam
 2 nec timuit vitae providus ante mala,
 3 confectus senio, postquam gravis adfuit aetas,
 4 heu frustra alterius saepe rogabit opem.
 5 Solibus ereptos hiemi formica labores
 6 distulit et brevibus condidit ante cavis.
 7 Verum ubi candentes suscepit terra pruinas,
 8 arvaeque sub rigido delituere gelu,
 9 pigra nimis tantos non aequans corpore nimbos,
 10 in propriis laribus humida grana legit.
 11 Decolor hanc precibus supplex alimenta rogabat
 12 quae quondam querulo ruperat arva sono :
 13 se quoque, maturas cum tunderet area messes,
 14 cantibus aestivos explicuisse dies.
 15 Parvula tunc ridens sic est affata cicadam
 16 (nam vitam pariter continuare solent) :
 17 "Mi quoniam summo substantia parta labore est,
 18 frigoribus mediis ocia longa traho.
 19 At tibi saltandi nunc ultima tempora restant,
 20 cantibus est quoniam vita peracta prior."

XXXV. SIMIA ET NATI.

A_35 v.1 Fama est quod geminum profundens simia partum,
 2 dividat in varias pignora nata vices.
 3 Namque unum caro genetrix educit amore,
 4 alteriusque odiis exsaturata tumet.
 5 Coeperit ut fetam gravior terrere tumultus,
 6 dissimili natos conditione rapit :
 7 dilectum manibus vel pectore gestat amico,
 8 contemptum dorso suscipiente levat.
 9 Sed cum lassatis nequeat consistere plantis,
 10 oppositum fugiens sponte remisit onus.
 11 Alter ab hirsuto circumdans brachia collo
 12 haeret et invita cum genetrice fugit.
 13 Mox quoque dilecti succedit in oscula fratris,
 14 servatus vetulis unicus heres avis.
 15 Sic multos neglecta juvant, atque, ordine verso,
 16 rursus spes humiles in meliora refert.

XXXVI. DE VITULO ET BOVE.

A_36 v.1 Pulcher et intacta vitulus cervice resultans
 2 scindentem adsidue viderat arva bovem.
 3 "Non pudet, heus, inquit, longaevo vincula collo
 4 ferre nec expositis ocia nosse jugis,

5 cum mihi subjectas pateat discursus in herbas,
 6 et nemorum liceat rursus opaca sequi ?"
 7 At senior, nullam verbis compulsus in iram,
 8 vertebat solitam vomere fessus humum,
 9 donec deposito per prata liceret aratro
 10 molliter herboso procubuisse toro.
 11 Mox vitulum sacris innexum respicit aris
 12 admotum cultro cominus ire popae.
 13 "Hanc tibi tristis, ait, dedit indulgentia mortem
 14 expertem nostri quae facit esse jugi.
 15 Proderit ergo graves quamvis perferre labores
 16 otia quam tenerum mox peritura pati."
 17 Est hominum sors ista, magis felicior ut mors
 18 sit cita, cum miseris vita diurna negat.

XXXVII. DE LEONE ET CANE.

A_37 v.1 Pinguior exhausto canis occurrisse leoni
 2 fertur et insertis verba dedisse jocis :
 3 "Nonne vides duplici tendantur ut ilia tergo,
 4 luxurietque toris nobile pectus ? ait.
 5 Proximus humanis ducor post otia mensis
 6 communem capiens largius ore cibum."
 7 "Sed quod crassa malum circumdat guttura ferrum ?"
 8 "Ne custodita fas sit abire domo.
 9 At tu magna diu moribundus lustra pererras,
 10 donec se silvis obvia praeda ferat.
 11 Perge igitur nostris tua subdere colla catenis,
 12 dum liceat faciles promeruisse dapes."
 13 Protinus ille gravem gemuit collectus in iram
 14 atque ferox animi, nobile murmur agit.
 15 "Vade, ait, et meritis nodum cervicibus infer,
 16 compensentque tuam vincula dura famem.
 17 At mea cum vacuis libertas redditur antris,
 18 quamvis jejunos, quae libet arva peto.
 19 Has illis epulas potius laudare memento
 20 qui libertatem postposuere gulae."

XXXVIII. PISCIS FLUVIATILIS ET MARINUS.

A_38 v.1 Dulcibus e stagnis fluvio torrente coactus
 2 aequoreas praeceps piscis obibat aquas.
 3 Illic squamigerum despectans improbus agmen
 4 eximium sese nobilitate refert.
 5 Non tulit expulsum patrio sub gurgite phoecis,
 6 verbaque cum salibus asperiora dedit :
 7 "Vana laboratis aufer mendacia dictis
 8 quaeque refutari te quoque teste queant.
 9 Nam quis erit potior, populo spectante, probabo,
 10 si pariter captos humida lina trahant.
 11 Tunc me nobilior magno mercabitur emptor,
 12 te simul aere brevi debile vulgus emet."

XXXIX. MILES ET LITUUS.

A_39 v.1 Voverat attritus quondam per proelia miles
 2 omnia suppositis ignibus arma dare
 3 vel quae victori moriens sibi turba dedisset,
 4 vel quicquid profugo posset ab hoste capi.
 5 Interea votis sors affuit, et memor arma

6 coeperat accenso singula ferre rogo.
 7 Tunc lituus rauco deflectens murmure culpam,
 8 immeritum flammis se docet esse prius :
 9 "Nulla tuos, inquit, petierunt tela lacertos
 10 viribus affirmes quae tamen acta meis.
 11 Sed tantum ventis et cantibus arma coegi,
 12 hoc quoque submisso (testor et astra) sono."
 13 Ille resultantem flammis crepitantibus addens :
 14 "Nunc te major, ait, poena dolorque rapit.
 15 Nam licet ipse nihil possis temptare nec ausis,
 16 saevior hoc, alios quod facis esse malos."

XL. DE PARDO ET VULPE.

A_40 v.1 Distinctus maculis et pulchro pectore pardus
 2 inter consimiles ibat inire feras.
 3 Sed quia nulla graves variarent terga leones,
 4 protinus his miserum credidit esse genus.
 5 Cetera sordenti damnans animalia vultu,
 6 solus in exemplum nobilitatis erat.
 7 Hunc arguta novo gaudentem vulpis amictu
 8 corripit et vanas approbat esse notas :
 9 "Vade, ait, et pictae nimium confide juventae,
 10 dum mihi consilium pulchrius esse queat
 11 miremurque magis quos munera mentis adornant
 12 quam qui corporeis enituere bonis."

XLI. IMBER ET TESTA.

A_41 v.1 Impulsus ventis et pressa nube coactus
 2 ruperat hibernis se gravis imber aquis.
 3 Cumque per effusas stagnaret turbine terras,
 4 expositum campis fictile pressit opus
 5 (mobile namque lutum tepidus prius instruit aer,
 6 discat ut admoto rectius igne coqui).
 7 Tunc nimbus fragilis perquirat nomina testae.
 8 Immemor illa sui : "Amphora dicor, ait.
 9 Nunc me docta manus rapiente volumina gyro
 10 molliter obliquum jussit habere latus."
 11 "Hactenus hac, inquit, liceat constare figura :
 12 nam te subjectam diluet imber aquis."
 13 Et simul accepto violentius amne fatiscens
 14 pronior in tenues victa cucurrit aquas.
 15 Infelix, quae magna sibi cognomina sumens,
 16 ausa pharetratis nubibus ista loqui.
 17 Haec poterunt miseros post hac exempla monere
 18 subdita nobilibus ne sua fata gemant.

XLII. DE LUPO ET HAEDO.

A_42 v.1 Forte lupum melior cursu deluserat haedus
 2 proxima vicinis dum petit arva casis.
 3 Inde fugam recto tendens in moenia cursu
 4 inter lanigeros astitit ille greges.
 5 Impiger hunc raptor mediamque secutus in urbem
 6 temptat compositis sollicitare dolis :
 7 "Nonne vides, inquit, cunctis ut victima templis
 8 inmitem regemens morte cruentet humum ?
 9 Quod nisi securo valeas te reddere campo,
 10 hei mihi ! vittata tu quoque fronte cades."

11 Ille refert : "Modo quam metuis, precor, exime curam,
12 et tecum viles, improbe, tolle minas.
13 Nam sat erit sacrum divis fudisse cruorem
14 quam rabido fauces exsaturare lupo."
15 Sic quotiens duplici subeuntur tristia casu,
16 expedit insignem promeruisse necem.